



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopi siue abbates, ante se ioca turpia fieri non permittant. xcii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

men iustum negocium est contradicendum propter necessitates diuersas: quia legimus sanctos apostolos negociasse, & in regula S. Benedicti præcipitur præuidere, per quorum manus negocium monasterij transeat. Canes & aues sequi ad venandum, & in omnibus quibuscumque causis superfluum esse. Ecce talia & his similia ministris altaris domini, necnon & monachis omnino contradicimus. De quibus dicit Apostolus, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

De clericis iniuste tonsuratis. Cap. XCI.

DE clericis verò hoc statuimus, vt hi qui hactenus inuenti sunt siue canonico siue in monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt vt ita permaneant, & deinceps cauendum, vt nullus tondeatur, nisi legitima ætate, & spontanea voluntate; vel cum licentia domini sui, vel consensu parentum.

Ne episcopi siue abbates, ante se ioca turpia fieri non permittant. Cap. XCII.

VT episcopi & abbates ante se ioca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio diuina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione, & laude domini secundum Apostolum: Siue manducatis siue bibitis, omnia in laude Dei faciatis.

De illis qui ab episcopo seu ab aliis auaritia causa seducti se totonderunt. Cap. XCIII.

Constituit sanè sacer iste conuentus, vt episcopi siue abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoscumque homines illectos circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius surripuerunt, penitentia canonica siue regulari, vt pote turpis lucri sectatores, subiaceant: hi verò qui vanis promissionibus illecti, vel quibuscumque machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, comam deposuerunt, in eo quod ceperunt perseuerare cogantur. Res nanque quæ ab illectis & negligentibus data, ab auaris & negligentibus non solum accepta sed rapta noscuntur, heredibus reddantur, qui dementia paratum,

Y iij

*Ex eodē
cap. 23.*

*Ex eodē
cap. 24.*

*Ex eodē
cap. 25.*